



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Libelli Cvivsdam Antverpiæ Nuper Editi Contra  
Serenissimvm D. Ioannem ab Austria, Gubernatorem  
generalem inferioris Germaniæ, qua parte conscientiæ, vt  
vocant, libertas in eo requiritur, breuis & ...**

**Lens, Jean de**

**Lovanii, 1578**

Tertium ostendit adhibitis è nouo testame[n]to cùm exemplis, tum  
testimonijs, ad conseruationem religionis vtilem esse metum Dei, siue per  
seipsum, siue per eos, quos rectores posuit, terrorem ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30345**

quisquam illud fortasse produxerit, nihil  
omnino causam adiuuerit suam, cum inter-  
rim teneamus etiam tum vius veri Dei  
cultum, munus diuinum extitisse. Quod do-  
num si conseruandum non fuit in homi-  
num animis, incusso seueritatis poenarum-  
que metu, non debuit idolatriæ lapsus  
tanta poenarum & calamitatum acerbitate  
puniri. Si autem conseruatum sic est, &  
multos quidem per annos, qui fiat ut non  
& modo ratione consimili Catholicæ reli-  
gionis munus in Republica Christiana con-  
seruetur? Neque enim adeo tardo quen-  
quam esse ingenio puto, qui non videat  
quam Iudeis quoque iustæ fuerit causa que-  
relæ, cum propter cultum idolorum graui-  
bus ruinis feriebantur; si hoc iam dicere  
quisquam cum ratione potest, Cur tenere  
fidem hanc supplicijs cogor, quam nisi de-  
derit Deus, habere non possum? Quid? quod  
nec integrum iam erit Deo, quemquam sup-  
plicijs æternis addicere, propterea quod  
eum non præ omnibus rebus dilexerit? Pa-  
ratum enim & hoc erit continuo: Iniuste  
me cum agis, qui me sic punias, quia non ha-  
buerim quod nisi te largiente habere non  
potui.

PORRO, ut alia nō pauca huc pertinen- CAPVT  
tia, quæ illorum fuere temporū, omittamus. III.

A 4 ad

8

ad nouumque testamentum conuertamus  
oculos: cur flagello vsus est Christus ad ex-  
*Ie 7. cap. 2.* turbandos è templo negotiatores proph-  
anos, nisi vt religiosam in eo Dei veneratio-  
nem, quæ eius proculdubio donum est, con-  
seruaret? Cur Ananiæ Sapphiræque repen-  
tina morte incussus est multitudini creden-  
tium metus, nisi vt sic punita fraude ini-  
mica pietati, constantior deinceps in pro-  
missis implendis pietas seruaretur? Factus  
enim est per hæc timor, sicuti scriptum  
est in Actis, in vniuersa Ecclesia, & in omnes  
qui audierunt. Tantumque abest vt hac iniusti-  
tata vindicta religio, quæ Dei donum est,  
detimentum acceperit, vt mox adiungat  
historia, magis magisque aucta esse creden-  
tium in Domino multitudinē virorum at-  
que mulierū. Cum igitur metu fuerit aucta  
religio, non eadem metu poterit in homi-  
num animis conseruari? præsertim cum ad  
pietatis indubie conseruationem B. Gen-  
tium Apostolus Timotheo præcipiat, vt eos  
*1. Timotb.* qui peccant arguat coram omnibus, quo  
cæteri timorem habeant, ac timore percul-  
si, ab ijs quæ Christianis officiunt institutis  
abstineant. At ille fuit (inquis) Dei metus,  
hic autem quem ad religionis conserua-  
tionem nihil conferre volumus, metus est  
humanæ potestatis: Quasi verò non eos qui  
rebus

*Afforum  
cap. 5.*

*i. Timotb.  
cap. 5.*

9

rebus humanis legitimè præfunt, timeri ut  
Dei ministros oporteat. Si enim diuinitus  
est ordinata potestas sublimior, & si is qui  
potestati resistit, Dei resistat ordinationi, *Roma. 13.*  
iuxta doctrinæ Apostolicæ certissimam ve-  
ritatem, quisquis potestatem illam recte re-  
ueretur ac timet, is Deum ipsum in suo vi-  
cario metuat ac reuereatur necesse est. Eam  
ob rem Sapiens Deo ipsi subiunxit regem  
tanquam Dei ministrum, cum vtrumque  
metuendum esse præscriberet: Time, in- *Prover. 24*  
quit, fili mi, Dominū & regem, & cum ob-  
trectatoribus siue Dei, siue regum, ne com-  
miscearis; quoniam repente ab ijs consurgit  
perditio; & ruinam quam vterque afferat,  
quis nouit? Hinc & Beatus Petrus jubet *1. Petri*  
Christianos subiectos esse siue regi quasi *cap. 2.*  
præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo  
missis, ad vindictam malorum, laudem vero  
bonorum. Quos igitur oporteat suspicere  
tanquam à Deo missos, eisdem quoque ab  
ijs qui deliquerint tanquam Dei ministros  
metui constat oportere. Quare si ad religio-  
nis conseruationem & propagationem di-  
uinitus incussus conduit terror, cur timor  
impedit legitimæ, diuinaque ordinatione  
constabilitæ potestatis?

Nec sane dubium est, quin liberæ sit vo- *CAPVT*  
*luntatis credere, omninoque perspicuum* *III.*

A 5 est